

JOSEF PFAB

DE FACULTATE DISPENSANDI VOTA  
IN CONGREGATIONE SANCTISSIMI REDEMPTORIS EMISSA

I. - In Actis<sup>1</sup> Capituli Generalis XVIII Congregationis Sanctissimi Redemptoris anno 1967 Romae celebrati — prima sessionum periodo — septies sermo est de facultate dispensandi vota a sodalibus Congregationis Sanctissimi Redemptoris emissis, nempe: pag. 80, n. 4, prop. 73 et 74; pag. 82, prop. 73 et 74; pag. 94, n. 8, prop. 22; pag. 214, n. 25; pag. 219, n. 12.

II. - Antequam isti textus Capituli Generalis animadversionibus ornari possint, probandum est in Congregatione Sanctissimi Redemptoris praeter Summum Pontificem etiam Rectorem Maiorem seu Superiorem Generalem sodalibus dispensationem a votis concedere posse. Immo, vota publica religiosa simplicia paupertatis, castitatis et oboedientiae necnon iuramentum perseverantiae, quae a sodalibus Congregationis Sanctissimi Redemptoris nuncupantur, sub hac conditione nuncupari, ut a Summo Pontifice *vel* a Superiore Generali seu Rectore Maiore dispensari queant.

Et ita valet iam ab initio Congregationis Sanctissimi Redemptoris.

III. - Quoad *terminologiam* animadvertendum est:

*Ab initio Congregationis (1749) usque ad Capitulum Generale 1963*: « Constitutiones et Regulae » significat textum a Sancta Sede approbatum (i.e. Regulam Pontificiam); « Constitutiones » significat textum a Capitulis Generalibus approbatum.

*Capitulum Generale 1963* introduxit sequentem terminologiam:

---

<sup>1</sup> *Acta integra Capituli Generalis XVII Congregationis Sanctissimi Redemptoris Romae celebrati 1967 et 1969, Romae [1970].*

« Constitutiones » significat textum a Sancta Sede approbatum (i.e. Regulam Pontificiam); « Statuta Capitularia » significat textus a Capitulo Generali approbatus.

IV. - Probatur facultas Superioris Generalis dispensandi a votis a sodalibus Congregationis Sanctissimi Redemptoris emissis, seu probatur sodales Congregationis Sanctissimi Redemptoris vota sua religiosa semper sub hac condicione nuncupare, ut vel a Summo Pontifice vel a Rectore Maiore dispensari possint:

1. - In Litteris Apostolicis (« Ad Pastoralis ») in forma Brevis die 25 februarii 1749 editis, quibus Benedictus XIV « Constitutiones et Regulas » Congregationis Sanctissimi Redemptoris approbavit, legitur:

a. - *in Parte II, Cap. I, § IV*: « Agli altri voti già detti, uniranno il voto di perseveranza. Con questo si obbligheranno i soggetti a vivere sino alla morte nella Comunità, *né chiederne dispensa, che al Sommo Pontefice, o Rettore Maggiore*; restando sempre la libertà al Rettore Maggiore di mandar via quei soggetti, che non saranno di edificazione: sebbene dovrà egli seriamente pesarne le cagioni innanzi a Dio, ed in questo specialmente procederà con somma rettitudine, e senza alcuna passione »<sup>2</sup>.

b. - *in Parte III, Cap. II, n. III*: « Se si saranno ben portati in quest'anno di prova, colla licenza del Rettore Maggiore, fatti altri quindici giorni di esercizi spirituali più rigorosi, saranno ammessi all'oblazione, facendo i voti semplici di castità, povertà, ed ubbidienza, col voto, e giuramento di perseveranza a beneficio della Congregazione accettante: *i quali voti, e giuramento non possono essere rilasciati, né dispensati, che dal Sommo Pontefice, o dal Rettore Maggiore, e con questa condizione sempre s'intendano farsi* »<sup>3</sup>.

2. - In Actis Capituli Generalis anni 1764 repetuntur textus « Constitutionum et Regularum » (i.e. Regulae Pontificiae) supra (III, 1, a-b) citati<sup>4</sup>, et datur sequens explicatio in Constitutionibus ab isto Capitulo latis:

<sup>2</sup> *Codex Regularum et Constitutionum Congregationis SS. Redemptoris necnon Statutorum a Capitulis Generalibus annis 1764, 1855, 1894, Romae 1896*, p. 11. — Quaedam sententiarum partes in textibus Regularum et Constitutionum litteris inclinatis cuae sunt, quo modo auctor illas clarius proferre vult.

<sup>3</sup> *Ibid.*, p. 23.

<sup>4</sup> *Ibid.*, n. 339, p. 158; n. 900, p. 345.

a. - *Constitutio n. 341*: « Solutionem porro huius iurijurandi congregatis a nullo petere licet *nec valide impetrare possunt, nisi a patre Rectore Maiore vel a Summo Pontifice*, ut jam de ipso perseverantiae voto statutum est: et si quis congregatus, ea mente delinqueret, ut e Congregatione dimitteretur, ac votorum et iuramenti dispensationem obtineret, eo ipso temporis articulo, quo id apud animum suum decerneret, grave peccatum admitteret contra votum illud ac iuramentum: dispensatio tamen, si forte obtenta fuerit, rata erit »<sup>5</sup>.

b. - *Constitutio n. 343*: « Demum, si quis ex Congregatione expellatur, ita accipiendum est, ut simul quoque voti paupertatis, castitatis et oboedientiae, necnon voti et iuramenti perseverantiae obligatione solvatur »<sup>6</sup>.

3. - *Capitulum Generale anni 1785*, explicans « Constitutiones et Regulas » (i.e. Regulam Pontificiam), statuit: « Proibendo la Regola, parte 3, c. 2, n. 2, che *i voti e giuramento* fatti da' soggetti nella loro professione, *non possano essere dispensati che dal Sommo Pontefice, o dal Rettore Maggiore*, il Capitolo riflettendo ai disordini accaduti, ha formato il seguente decreto: Proibisce a tutti gli individui della Congregazione sotto formal precetto di ubbidienza di partire dalle case, ove restano assegnati, senza espressa licenza »<sup>7</sup>.

4. - *Capitulum Generale, quod anno 1793 celebratum est*, item explicans « Constitutiones et Regulas » (i.e. Regulam Pontificiam) decrevit:

a. - « Nella stessa mattina degli otto del corrente si è parlato delle facultà che non si accordano al Vicario della Provincia, e sono: 1° Che non può ingerirsi nella espulsione dalla Congregazione di qualche soggetto professore, la quale ricerca *la dispensa dei voti e del giuramento di perseveranza, ch'è riserbata al solo Rettore Maggiore* »<sup>8</sup>.

b. - « *La dispensa de' Voti, e Giuramenti è riserbata al Sommo Pontefice, o al Rettore Maggiore*. Il Capitolo Generale ordina che nel punto di espulsione di qualche Soggetto dalla Congregazione deve il Rettore

<sup>5</sup> *Ibid.*, pp. 159-159.

<sup>6</sup> *Ibid.*, pp. 159-160.

<sup>7</sup> *Acta integra Capitulorum Generalium Congregationis SS. Redemptoris ab anno 1749 usque ad annum 1894 celebratorum*, Romae 1899, n. 144, p. 66.

<sup>8</sup> *Ibid.*, n. 257, p. 96.

Maggiore consultarsi con tutti i sei Consultori Generali capitolarmente uniti, e mancando una tale Consulta, sarà nullo l'atto della dispensa e della espulsione »<sup>9</sup>.

c. - « Il licenziare qualche Soggetto dalla Congregazione, e dispensargli i voti, e il giuramento di Perseveranza spetta al Rettore Maggiore, ma il Capitolo ha prescritto su questo punto alcune cautele per procedere con tutta l'avvedutezza, come si è notato nel Cap. X di queste Costituzioni del voto di Perseveranza »<sup>10</sup>.

5. - In Actis Integris Capituli Generalis anno 1855 celebrati invenitur sequens versio latina textus italici « Constitutionum et Regularum » a Benedicto XIV anno 1749 approbatarum:

a. - « Votis, jam supradictis, addent votum Perseverantiae, vi cuius obligabuntur Subjecti, vivere, ad mortem usque, in Communitate, nec ab iis petere dispensationem, nisi a Summo Pontifice, vel Rectore Maiore, cum liberum semper sit Rectori Majori, dimittere illos Subjectos, qui non erunt aedificationi, quamvis ipsum hujus motiva, serio, coram Deo, ponderare oportebit; et in hoc specialiter summa cum rectitudine, et absque ullo pravo affectu, procedat »<sup>11</sup>.

b. - « Si bene se gesserint per hunc annum probationis, cum licentia Rectoris Majoris, factis denuo per quindecim dies, sed rigorosius, exercitiis spiritualibus, ad oblationem admittentur nuncupando vota simplicia Castitatis, Paupertatis, et Oboedientiae, cum voto et juramento Perseverantiae in beneficium Congregationis acceptantis: quae vota et juramentum non possunt relaxari nec dispensari nisi a Summo Pontifice, vel a Rectore Majore; et hac sub condicione semper nuncupari censentur »<sup>12</sup>.

c. - Denique a Capitulo Generali 1855 ad rem dantur sequentes Constitutiones:

n. 716, 2: « Solutionem porro huius jurisjurandi Congregatis a nullo petere licet, nec valide impetrare possunt, nisi a Patre Rectore Majore,

<sup>9</sup> *Ibid.*, n. 375, p. 143.

<sup>10</sup> *Ibid.*, n. 394, p. 152.

<sup>11</sup> *Ibid.*, n. 715, p. 358.

<sup>12</sup> *Ibid.*, n. 884, p. 429.

*vel a Summo Pontifice, ut iam, de ipso perseverantiae voto, statutum est: et, si quis Congregatus, ea mente, delinqueret, ut a Congregatione dimitteretur, ac votorum, et juramenti dispensationem obtineret, eo ipso temporis articulo, quo id apud animum suum decerneret, grave peccatum admitteret contra votum illud, ac juramentum: dispensatio tamen, si forte obtenta fuerit, rata erit »*,

n. 716, 4: « Demum, si quis e Congregatione expellatur, ita accipiendum est, ut simul quoque voti paupertatis, castitatis, et oboedientiae, necnon voti, et juramenti perseverantiae obligatione solvatur »<sup>13</sup>.

6. - Quum post promulgationem Codicis Iuris Canonici omnes Constitutiones et Regulae revisendae essent, *Capitulum Generale anni 1921* hoc opus perfecit<sup>14</sup>. Textus Regulae Pontificiae revisus die 25 februarii 1922 demum approbationem obtinuit a S. Congregatione de Religiosis. Ibi legitur quoad dispensationem votorum:

a. - *in Parte II, Cap. I, § IV*: « Votis jam supradictis addent in actu professionis perpetuae votum perseverantiae; vi cujus obligabuntur subjecti vivere ad mortem usque in Communitate, *nec ab iis petere dispensationem nisi a Summo Pontifice, vel Rectore Majore*, cum liberum semper sit Rectori Majori, salvo Jure, dimittere illos subjectos, qui non erunt aedificationi, quamquam ipsum huius motiva serio coram Deo ponderare oportebit; et in hoc specialiter summa cum rectitudine et absque ullo pravo affectu procedat »<sup>15</sup>.

b. - *in Parte III, Cap. II, n. III*: « Si bene se gesserint, per hoc tempus probationis, cum licentia Rectoris Majoris, factis denuo per quindecim dies, sed rigorosius, exercitiis spiritualibus, ad oblationem temporariam admittentur, nuncupando vota simplicia castitatis, paupertatis et oboedientiae. Tempore a Jure et a Rectore Majore statuto, admittentur ad oblationem perpetuam, nuncupando eadem vota, adjectisque voto et juramento perseverantiae in beneficium Congregationis acceptantis: *quae vota et iuramentum non possunt relaxari, nec dispensari, nisi a Summo Pontifice vel Rectore Majore; et hac sub conditione semper nuncupari censentur »*<sup>16</sup>.

<sup>13</sup> *Ibid.*, n. 716, pp. 358-359.

<sup>14</sup> *Acta integra Capituli Generalis XII Congregationis SS. Redemptoris Romae celebrati anno MCMXXI*, Romae 1922.

<sup>15</sup> *Constitutions et Regulae Congregationis Sacerdotum sub titulo SS. Redemptoris*, Romae 1936, p. 43.

<sup>16</sup> *Ibid.*, p. 56.

c. - In *Constitutionibus Capitularibus*, a Capitulo Generali anni 1921 latis, ad rem legitur:

n. 339: « Solutionem porro hujus jurisjurandi Congregati a nemine licite petere aut *valide impetrare possunt, nisi a Patre Rectore Majore vel a Summo Pontifice*, ut iam de ipso Perseverantiae voto statutum est; et si quis Congregatus ea mente delinqueret, ut e Congregatione dimitteretur, ac votorum et juramenti dispensationem obtineret, eo ipso temporis articulo, quo id apud animum suum decerneret, grave peccatum admitteret contra votum illud ac juramentum: dispensatio tamen, si forte obtenta fuerit, rata erit »<sup>17</sup>.

n. 342: « Demum, si quis e Congregatione expellatur, ita accipiendum est, ut simul quoque voti paupertatis, castitatis et obedientiae, itemque voti et juramenti perseverantiae obligatione solvatur »<sup>18</sup>.

7. - Denique *Capitulum Generale XVI anni 1963* iterum « Regulam Pontificiam » mutavit; quae mutatio die 2 februarii 1964 a S. Congregatione de Religiosis approbata est<sup>19</sup>. Ad quaestionem nostram ibi legitur: « Votis iam supra dictis addent in actu professionis perpetuae votum et iuramentum perseverantiae, vi cuius sese obligabunt vivere ad mortem usque in Congregatione, *nec ab iis petere dispensationem nisi a Summo Pontifice vel a Rectore Maiore* »<sup>20</sup>.

V. - *Ex istis documentis elucet:*

Facultas Rectoris Maioris et Superioris Generalis Congregationis Sanctissimi Redemptoris dispensandi a votis (tam temporariis quam perpetuis) a sodalibus eiusdem Congregationis emissis non est mere privilegium, sed est *facultas ordinaria ei a iure particulari cum approbatione Pontificia concessa*. Facultas autem de qua agitur consequenter ei tribui debet *ex natura votorum* in Congregatione Sanctissimi Redemptoris, quae nempe nuncupantur tamquam reservata sive Romano Pontifici sive Rectori Maiori: « quae vota et iuramentum non possunt relaxari, nec dispensari, *nisi a Summo Pontifice vel Rectore Maiore*; et sub hac condicione semper nuncupari censentur »<sup>21</sup>.

VI. - *Capitulum Generale XVII (1967)* in prima sessionum perio-

<sup>17</sup> *Ibid.*, p. 228.

<sup>18</sup> *Ibid.*, p. 230.

<sup>19</sup> Prot. N. 16.336/63. R. 57.

<sup>20</sup> *Constitutiones et Statuta Congregationis SS. Redemptoris*, Romae 1964, n. 38, p. 9.

<sup>21</sup> Cfr. notam 2.

do tractavit quaestionem, an petendus sit Superior Generalis, ut facultatem suam dispensandi a votis saltem partim delegaret Superioribus Provincialibus.

Intentio suffragationum, de quibus referunt Acta Capituli<sup>22</sup>, erat, ut exquiratur mens Capituli quoad tales delegationes; Capitulum (petentibus pluribus Capitularibus) voluit, ut Superior Generalis eligendus istam mentem cognosceret.

Denique Capitulum, Superiore Generali iam electo, denuo mentem suam aperuit suffragatione, et insimul expressit talem delegationem desiderari sollummodo quoad dispensationem a votis temporariis; optabatur vero, ut non solum Superioribus Provincialibus sed etiam Viceprovincialibus ista facultas tribueretur<sup>23</sup>.

Superior Generalis tandem in ultima sessione petitam delegationem concessit tantum Superioribus Provincialibus quoad vota temporaria. Noluit tamen concedere eandem facultatem Viceprovincialibus indiscriminatim, sed solum, si Superiores Provinciales id rogarent. Interim nonnulli Superiores Provinciales pro aliquibus Viceprovinciis magnis, a Provincia matre valde distantibus, delegationem facultatis dispensandi a Rectore Maiore rogaverunt<sup>24</sup>. Ceterum procul dubio Superior Generalis ad normam can. 199 CIC talem delegationem impertiri potuit.

VII. - Capitulum XVII - in altera sessionum periodo (1969) — ad experimentum textum Constitutionum composuit. Ibi legitur: « Vota in Congregatione emissa, sive temporaria sive perpetua, non possunt dispensari nisi a Summo Pontifice vel Superiore Generali; et hac sub conditione semper nuncupari censentur. In casu autem dimissionis sodalium a votis perpetuis, ipsa vota solvuntur »<sup>25</sup>.

VIII. - *Capitulum Generale XVIII* (1973) sequentem emendationem decrevit: « *Const. 80.* Ultima sententia deleatur, ut inseratur nova: ' In casu dimissionis per processum, vota solvuntur post confirmationem sententiae a Sancta Sede; in casu vero dimissionis ipso iure, post declarationem facti »<sup>26</sup>.

<sup>22</sup> Acta integra Capituli Generalis XVII cit., prop. 73, p. 80 et prop. 74, p. 82.

<sup>23</sup> Ibid., p. 214, n. 25.

<sup>24</sup> Ibid., p. 219, n. 12.

<sup>25</sup> Constitutiones et Statuta Congregationis SS. Redemptoris a Capitulo Generali XVII exarata, Romae 1969, p. 36, n. 80.

<sup>26</sup> Acta integra Capituli Generalis XVIII Congregationis SS. Redemptoris Romae celebrati 1973, Romae [1974], p. 92: Secundum Decretum, II, A, 1.